



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

II. De Oratione & Enunciatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

CONTROVERSIA III.

De Nomine, & Verbo, Oratione,
& Enunciatione.

ENUNCIATIO seu Propositio in se Orationem includit; Nomen & Verbum partes sunt orationis, ideo hæc omnia eadem amplectitur Controuersia.

PUNCTUM I.

De Nomine, & Verbo.

Nomen definiuit Fonseca libr. 1. cap. 12. *Vox significans ex instituto definit ac sine tempore, cuius nulla pars separatim significat, quæque adiuncto est, aut non est, efficit orationem, quæ verum aut falsum significet.* Per primam particulam *vox significans ex instituto*, cum pluribus aliis Nomen conuenit: per particulam *finiit*, differt à nominibus affectis negatione infinitante, veluti *non homo, non equus*, quæ Aristoteles non simpliciter nomina, sed addito diminuentem infiniti, infinita nomina appellauit. Per particulam *cuius partes separatim nihil significant*, differt Nomen ab Oratione. Per particulam *sine tempore* differt à Verbo, quia licet nomen aliquando tempus significet, quia ad illud significandum est impositum, si cuti nomen istud *dies*, aut nomen *hora*, & aliquando connotet tempus, quia significat rem aliquam, quæ cum tali tempore connexionem habet, veluti hoc nomen *cuma*, cuius significatum non dicitur tale, nisi præfixo tempore fiat; non significat cum tempore, quod est significare aliquam actionem, & simul cum illa significare hoc, vel illud tempus in quo fieri potest, quod habet Verbum veluti *amat, vicit*. Reliquum definitionis *quæque adiuncto*, &c. omittit Toletus in definitione; quam ipse adduxit, & loco illius addit, nomen debere esse non quamcumque vocem, sed rectam, vt excludat casus obli quos, qui nomina non sunt, sed casus nominum. Possunt etiam excludi hi casus obliqui per vltimam partem definitionis à Fonseca adductæ, quia etiam hi addatur verbum est, non constituunt orationem veram aut falsam, si enim dicatur *Petri est*, nihil verum aut falsum profertur. Ideo cenfeo vtramque definitionem adductam à Fonseca, & Toletio retineri posse.

Verbum sic definit Fonseca: *Vox significans ex instituto definit, ac cum tempore præsentis, cuius nulla pars significat separatim, & semper eorum quæ de alio prædicantur est nota.* Quid sit significare cum tempore nuper explicui; dicitur autem verbum significare *definit*, ad excludendum illius infinitum de præsentis, & verba, quibus negatio præponitur, sicuti *non disputat, non legit*. Dicitur significare *cum tempore de præsentis*, quia sicuti in nominibus tantum casus rectus dicitur nomen, sic in verbis tantum præsens Indicatiui Verbum dicitur, quia veritates omnes aliorum temporum semper in ordine ad præsens desumuntur, ideo enim est modò verum dicere *Petrus currit*, quia tempore venturo erit verum dicere *Petrus currit*, & ideo verè dicitur *Petrus cucurrit*, quia tempore præterito verum fuit dicere *Petrus currit*. Posteriorem particulam, & est eorum, quæ dicuntur nota, facile explicat Toletus dicens illa significari verbum esse nexum inter subiectum, & prædicatum, & id, quo illorum identitas denotatur. Pater Fonseca vult illa particulâ significari, verbum vice sui significati prædicari quotiescumque ponitur in enunciatione; cum enim dicimus *Petrus currit*, idem est ac dicere *Petrus est currens*, cuius propositionis prædicatum continetur in verbo, & sic de omnibus aliis. Obiicit sibi in hac propositione *homo est animal*, verbum est neque ratione sui significati prædicari; respondetque in hac propositione verbum est extrahi à sua significatione, quia hoc verbum significat existere, in præsentis autem tantum adducitur ad significandam connexionem inter hominem, & animal; quando verò retinet suam si-

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

gnificationem, sicuti in hac propositione *Petrus est*, tunc prædicari affirmat de subiecto, quia propositio illa æquiualeat huic *Petrus est ens*. Probabiliter potest hæc doctrina defendi, præcipue cum res sit parui momenti, verum tamen expeditiorem cenfeo esse interpretationem ex Toletio relata. Neque in opinione Fonseca necesse est dicere verbum est extrahi à sua significatione, cum dicitur *Petrus est animal*, quia adhuc in hac propositione prædicatur de subiecto participium verbi inclusum in hoc prædicato *animal*, quod non exprimitur, ne semel ponatur ex parte prædicati, sicuti non dicimus *Petrus est animal homo*, sed *Petrus est homo*, quia animal continetur in homine; quæ etiam ratione ens continetur in animali. Id quod explicauit Fonseca in sua definitione dicens verbum significare non cum quocumque tempore, sed cum tempore de præsentis, explicuit Toletus dicens, *verbum esse vocem rectam*, quo adiectiuo excludit omnia tempora distincta à præsentis Indicatiui, in reliquis omnibus cum Fonseca conuenit, & cum utroque tota Summulistarum turba, neque res est maiori examine digna.

PUNCTUM II.

De Oratione, & Enunciatione.

Aristoteles libr. 1. de interpretatione cap. 4. orationem definit his verbis: *Vox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata.* Definitionem hanc admittunt Toletus, & Fonseca, & ferè omnes auctores, qui notant Aristotelem non intendisse significare per illam particulam *cuius aliqua partium*, vnam tantum partium orationis fore significatiuam, sed vnam tantum assignasse, quia hæc sufficiebat ad distinguendam Orationem à Nomine, & Verbo, quæ nullâ parte significatiua gaudet. Eo ipso quod Oratio dicatur vox vna, & partes illi assignentur, significatur has habituras inter se aliquam coherentiam, seu aliquam vñionem, alias non dicerentur vna vox, neque constituerent vnum totum, cuius essent partes. Ex hoc inferes voces has, *ignis, lapis, lignum*, orationem non esse, quia nullam inter se congruentiam habent. Ex quo capite dimanauit alia orationis definitio, videlicet *plures dictiones congruè se habentes*, quæ definitio satis consona est menti Aristotelis, & ex nullo capite reici potest. Dictionum congruentia, quam exposcit hæc definitio, & vñio dictionum quam requirit definitio Philosophi, vt modò dicebam, poterit esse quæcumque Grammaticalis congruentia, vel coniunctio aliqua, ex vi cuius vtrumque extremum casu cohereant, sicuti cum dicimus *Petrus est Ioannes*.

Pater Hurtadus vt terminum complexum distinguat ab oratione, asserit ad orationem requiri congruentiam nominis cum verbo, & orationem definit: *Vox significatiua composita ex nomine & verbo multo congruentibus.* Definitionem hanc consonam esse ait Grammaticorum sententiæ, qui notitias, seu orationes diuidunt in duas actiuas, duas passiuas, aliamque Imperfonalis verbi, in quibus omnibus verbum reperitur. Quidquid sit de mente Grammaticorum, retinenda est definitio tradita à Philosopho, quam gratis deserit Hurtadus, & cui immeritò propriam præfert. Neque suâ definitione difficultatem fugit, quam intendebat vitare, quia oratio composita ex nomine, & verbo, integræque propositione potest esse terminus complexus, vt contingit in hac propositione, *Petrus currit est propositio*. Quomodo autem differant terminus complexus, & oratio, dixi dum naturam termini complexi explicabam, vbi etiam explicui quomodo nomen *Proconsul*, verbum *circumfero* non sint plures dictiones, ex quo ibi inferbam non esse terminos complexos, & modò infero non esse orationes.

Docet Pater Fonseca libr. 3. cap. 1. duobus modis posse orationem componi ex dictionibus per se significantibus in ipsa: altero explicitè, seu expressè, vt si dicas, *nullus homo, nullo tempore, in omni loco, in omni tempore*. Altero implicitè, & virtute, vt si dicas *Nemo, nunquam, ubique, semper*. Aitque quod etiam si hæc dictiones voce non sint orationes, significatione tamen orationes censendas esse, quia idem conceptus respondet huic simplicis voci *Nemo*, qui respondet huic complexo *nullus homo*.

B 2 quia

quia apud Dialecticos significationis potius, quam vocis ratio habenda est. Propter eandem rationem asserit vocibus his

Aio te Rurda Romanos vincere posse,
 duplicem propositionem proferri iuxta duplicem sensum, quem habere possunt, vnam respondentem his vocibus *Aio te posse vincere à Romanis* his alteram *Aio Romanos posse vincere à te*. Doctrinam hanc non improbo, & plus quam medio-cris fundamento excogitatum esse censeo.

4 Duplex est Oratio: quedam perfecta, alia imperfecta: Oratio imperfecta dicitur, quæ suspensum relinquit audientis animum, perfectumque non generat sensum, veluti *lectionem legis, lectionem legere*, alique huiusmodi. Oratio perfecta dicitur, quæ perfectum generat sensum, & quæ auditæ mens quietit audientis, veluti cum dicitur:

O mihi post nullo inquam memorande sodales,

5 Ex orationibus perfectis quedam sunt enunciativæ, alie non enunciativæ. Oratio enunciativa propositio dicitur, idemque est inquirere quid sit oratio enunciativa, ac interrogare quid sit propositio. Oratio enunciativa, seu propositio vulgò definitur: *Propositio est oratio quæ auditæ possumus respondere, verum dicis, vel falsum dicis*. Alio modo: *Oratio continens veritatem, vel falsitatem*. Exemplum accipe in his orationibus *Petrus currit, Ioannes legit*, quæ sine veritate, aut falsitate non proferuntur. Oratio ergo non enunciativa erit, quæ neque veritate, neque falsitate gaudet, veluti cum dicimus: *Vtinam vacasses literarum studio*.

6 Prædictæ propositionis definitiones rectè cum definito correspondent, & satis clarè rem explicant, verumtamen aptior alia querenda est, quia hæc per disunctionem naturam propositionis explicant, quæ in quantum fieri possit in definitione vitanda est, quia duplicem reddit definitionem, quarum una parti cuidam definiti, seu quibusdam inferioribus rationis communis, quæ definitur, & altera alteri parti, seu aliis inferioribus convenit. Definienda ergo est propositio, oratio ex vi cuius unum de alio enunciat, seu oratio in qua unum de alio dicitur, quæ definitione satis clarè natura propositionis proponitur, ex terminis enim ipsis notum est omnibus, quid sit dici unum de alio. Convenit etiam hæc definitio omnibus propositionibus, & nulli non propositioni, quia ubi unum de alio enunciat, est subiectum de quo aliud enunciat, seu dicitur, & prædicatum, quod de illo uno dicitur; subiectum autem, & prædicatum in omnibus propositionibus, & in illis tantum reperitur. Insuper ubi est subiectum, & prædicatum, veritatem, aut falsitatem, quæ sunt propriæ affectiones propositionum, reperiri necesse est. Circa hanc definitionem advertas enunciatum unum de alio, seu unum de alio dici, extendi ad affirmationem, & negationem convenientiæ inter prædicatum, & subiectum, veluti cum dicitur *Petrus est albus*, & cum dicitur *Petrus non est albus*, quia tunc de illo enunciatum esse non album.

PUNCTUM III.

De materia, forma, qualitate, & quantitate Propositionis, & de signis hanc indicantibus.

1 **M**ateria propositionis sunt subiectum, & prædicatum quatenus inter se dicunt ordinem. Ordo iste triplex est, ideo triplex materia propositionis assignatur. Aut enim prædicatum necessarîo coniungitur cum subiecto, & tunc materia propositionis necessaria, seu naturalis dicitur, veluti in hac propositione *homo est rationalis*. Aut prædicatum repugnat subiecto, veluti in hac propositione *homo est lapis* tunc materia remota, repugnans, & impossibilis solet appellari. Aut prædicatum contingenter convenit subiecto, veluti in hac propositione *homo est albus*, & tunc materia propositionis contingens appellatur. Materia naturalis dividitur in essentialiam, veluti in hac propositione, *homo est animal*, in qua prædicatum est de essentia subiecti, & in purè naturalem, veluti in hac propositione, *homo est risibilis*, cuius prædicatum est extra subiecti essentialiam. Item contingens dividi potest in naturalem, veluti *homo est albus*, cuius prædicatum naturaliter accidit subiecto; & in supernaturalem, veluti *homo est charus Deo*, cuius prædicatum supernaturale est respectu subiecti. In materia necessaria propositio affirmativa semper est vera, negativa semper est falsa. In materia remota, propositio affirmativa semper

est falsa, & negativa semper est vera. In materia contingenti tam propositioni affirmativæ, quam negativæ aliquando veritas, aliquando falsitas contingit.

2 Forma propositionis Categorice est copula est secundum se sumpta, vel affecta negatione; secundum se sumitur cum dicimus *Petrus est albus*, cum verò dicimus *Petrus non est albus* copula est non secundum se, sed ut affecta negatione propositionem constituit, & illius est forma. Ex hoc inferes formam propositionis negativæ, & affirmativæ essentialiter esse distinctas, & propositiones ipsas inter se essentialiter differre. Ratio est facilis: forma huius propositionis *homo est animal*, & sic de quacunque alia affirmativa, est connexio, coniunctio, & unio inter extrema, quapropter propositio affirmativa vocatur ab Aristotele compositio; forma verò propositionis negativæ, v.g. *Petrus non est equus*, est separatio, disunctio, & divisio extremorum. Ideo Aristoteles propositionem negativam divisionem vocabat. Sed separatio, disunctio, & divisio differunt essentialiter à compositione, coniunctione, & unionem: ergo forma propositionis negativæ essentialiter differt à forma propositionis affirmativæ: ergo non est utriusque forma copula est eodem modo se habens, sed in propositione affirmativa, sumpta secundum se; & in negativæ, negatione affecta. Ex hoc inferes differentias propositiones affirmativæ, & negativæ esse essentielles respectu propositionum, quas faciunt essentialiter differre, malèque ad qualitatem propositionis referri esse affirmativam, vel negativam, quod ut probatum est ad illius essentialiam spectat. Propositio affirmativa dicitur illa, cuius præcipua copula affirmat, & propositio negativa dicitur illa cuius præcipua copula negat. Unde si negatio copulam non afficiat, propositio erit affirmativa, veluti cum dicitur *Petrus est non lapis*. Additur cuius præcipua copula, propter alias copulas minis principales, de quarum affirmatione, aut negatione ratio habenda non est, ad cognoscendam propositionem affirmativam, aut negativam, veluti cum dicitur *Petrus, qui non loquitur ambulat*, quæ propositio est affirmativa, est verbum, loquitur sit negatum, quia hoc non in se continet præcipuam copulam, quæ in verbo *ambulat* continetur, quod affirmatur, & ideo propositio affirmativa dicitur. Similiter cum dicitur *Petrus, qui loquitur non ambulat*, propositio est negativa, quia præcipua copula est negata, est alia minis præcipua sit affirmata. Formam propositionis hypotheticæ, quæ formaliter constituitur in ratione propositionis, esse verbum est immediatè annexens extrema in propositione affirmativa, in qua secundum se sumitur, aut illa diuidens in propositione negativa, in qua negatione afficitur, ostendam Punct. 4.

3 Qualitas propositionis, illius veritas, vel falsitas est dicenda, quam accidens esse propositionis aliquid illi extrinsecum importans ostendat *Controvers. 7. de Anima*, quam totam institutam de veritate, & falsitate propositionis, ubi nonnulla circa hanc materiam late tradam.

4 Quantitas propositionis est extensio subiecti ad suum significatum, vel ad sua significata. Hæc est quadruplex, quedam universalis, cuius nomen est commune affectum signo univèrsali disponenti distributivè, veluti *omnis homo currit*. Alia particularis cuius nomen est signo particulari affectum, veluti, *aliquis homo currit*. Alia indefinita, cuius nomen est commune nullo signo affectum, veluti, *homo currit*. Alia singularis cuius nomen est singulare, vel commune signo demonstrativo affectum, veluti, *Petrus currit, hic homo currit*. Signa, quæ ex parte prædicati se tenent, non constituunt propositionem quantam, ideo hæc propositio *Petrus est omnis homo* singularis est, est ex parte prædicati signo univèrsali afficiatur. Nomina obliqua se tenentia ex parte subiecti quado nullo signo afficiuntur quantitatem propositionis non constituunt, hæc enim propositio, *omnis equus Petri currit*, univèrsalis est, est ex parte subiecti nomen singulare *Petrus* in obliquo ponatur. Quod si hi casus obliqui afficiantur signo univèrsali affirmativo, tale signum distribuet significatum casus obliqui, & ad quantitatem propositionis non spectabit, veluti cum dicimus *omnis hominis equus currit*, propositio erit particularis, & terminus *equus* sub disunctione resolvetur, eritque idem ac dicere: *omnis hominis aliquis equus currit*, hoc est, huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, &c. & huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, & sic de aliis semper cum